

51 Disp. II. Partit. III. de varijs mat: I. difficult. 52

Secundū.

qui dicetur entitatiuum, quia quolibet entita-
tem habens, habet quoque illum actum.

Secundo Probatur Resolutio: Omnis ter-
minus realis productus, vel est quadam actuali-
tas, vel est habens actualitatem: sed materia pri-
ma est terminus productionis realis, scilicet
creationis, ergo materia est quedam actualitas,
aut saltem de se habens actualitatem. Respondet
Soncinas: *Metaph. q. 17. b. 17.* hoc esse verum,
quando terminus productivus est productus, aut
creatus; non vero necesse est, quando est tan-
tum comprodactus, aut concreatus, ut habeat
quandam actualitatem, aut ut sit quadam actuali-
tas, sufficit enim ut habeat coniunctam actuali-
tatem: Vnde cum materia comproducatur
cum forma, & forma sit vera actualitas, terminus
productionis ex hac parte erit quedam actuali-
tas, quod idem est ac dicere: Terminus pro-
ductionis debet esse quedam actualitas, aut for-
maliter aut concomitantiter: materia ergo ex
Soncinate erit quedam actualitas, sed concomi-
tantiter,

Nulla tamen est solutio Soncinatis; nam
est materia sit concreta, & non simpliciter
creata, attamen prius naturā actio creativa de-
buit terminari ad ipsam: vnde redibit vis argu-
menti, illud debet esse quedam actualitas, aut
saltem habere actualitatem, ad quod prius ter-
minatur actio creativa: sed prius terminatur ad
materiam quam ad formam prioritate naturā,
ergo materia debet esse quedam actualitas in
aliquo priori naturā, quam forma existat, igi-
tur coniuncta forma actualitas non facit, ut
actio creativa terminetur ad materiam, ut ad
quid actuale, cum forma creatio sit posterior
naturā creatione materia; cum itaque crea-
tio debeat terminari ad aliquid actuale, & ter-
minetur prius ad materiam quam ad formam,
necesse est dicere materiam esse prius naturā,
quandam actualitatem, quam forma sit in re-
rum natura.

Tertius.

Tertio: In tantum ens est nobile, in quan-
tum est actus, vel actu: Vnde sic argumentor.
Quod aliquid est nobilior alio, tanto magis est
actus; sed materia prima est nobilior ens, quam
quodvis accidens, ergo est magis actus, & magis
actu: vnde realium; sed accidens est quidam
actus, estque actu, ergo à fortiori materia pri-
ma: quod autem materia sit nobilior ens, patet,
quia substantia est nobilior accidente.

Respondet Aquarius *disputatione de natura
materiae*, quod licet materia sit simpliciter nobi-
lior quolibet accidente, tamen accidens in quantu-
m est quedam actualitas, sit secundūm quid
nobilissimū ipsa materia.

Sed hoc non evacuat vim rationis allatae,
nam semper Insto: quod ens est nobilior, eō ma-
gis est actus: sed materia, est ens nobilior, quia
est substantia, ergo est magis actus, quam quod-
vis accidens, & tamen quodvis accidens est quidam
actus; maior inductione manifesta est; nam idē Deus est ens omnia præstans
sum, quia omnium est perfectissimus actus: Item Angelus est nobilior ens, quam res corpo-
reas, quia est purior actus, scilicet descendendo.

Confirmatur: quod est de se dependens est
minus actus, quam quod est independens: sed

substantia est independens de se, & accidentis de
se dependet à substantia, ergo, &c.

Quarto. Omnis potentia fundatur in ente
in actu, ex com. tertio de cals: sed materia est sub-
iectum potentiarum, habet enim potentiam ad omnes
formas, ergo de se est ens in actu; Quan-
doquidem materia de se habet potentiam ad
omnes formas.

Probationes quoque sequentis resolutionis
veritatem praefatis corroborabunt, nam cum
materia habeat existentiam, que est quidam
actus, & existentia non distinguitur ab essentiā
extra causas positā, vt docemus in *Metaph.* se-
quitur, cum existentia sit quidam actus, essen-
tiā quoq; extra causas positam esse quedam
actus.

Resolutio secunda: Materia prima propriam
habet existentiam de se, & non à forma.

Probatur primo: Existens nihil est aliud,
quam existentia extra causas positā: sed materia
non habet à forma, quod sit extra causas positā,
ergo non habet existentiam à forma. Maior ex
professo a nobis traditur in *Metaphysica*: minor
vero constat; nam materia positā est extra cau-
sas ab ipso agente, seu ab eo, qui eam produxit:
deinde materia prior est naturā, quam forma.
At prius non habet suum esse positum extra
causas ope posterioris.

Confirmatur. Existentia est positio rei ex-
tra causas: sed forma non dat positionem ma-
teriae extra causas, habet enim propriam pos-
itionem extra causas: neque eius existentia est
positio materiae extra causas, ergo existentia
materiae non dependet à forma, igitur materia
habet propriam existentiam independentem ab
existentia formae.

Secundo. Si materia prima haberet solum
existentiam à forma, aut à composito, necessariō,
sequeretur materiam tot diversis modis mutari
existentialiter, quot recipit diversas formas,
nam ex quo amittitur una forma, etiam amitti-
tur talis formae existentia, idēque ad introduc-
tionem nouae formae noua introduceretur exi-
istentia. Ex quo deducitur maximum absurdum,
nempe quod materia diceretur diuersum &
diuersum existens, cum tamen ipsa dicatur inge-
nerabilis, & invariabilis: quod dictum necessariō
debet intelligi de materia prima secundūm ex-
istentiam, & non secundūm suam existentiam, quia
res omnes secundūm suam existentiam sunt inge-
nerabiles & invariabiles: cum ergo illud dictum
de materia prima dicatur specialiter, necesse est,
ut intelligatur de ea secundūm eius existentiam.

Tertio. Nisi materia prima haberet propriam
existentiam, in aliquo saltem instanti, esset sine
existentia, sed hoc est absurdum, ergo & prius;
Minor patet, nam est absurdum dicere aliquid
esse in rerum natura, & extra causas positum, &
tamen illud non existere: Maior declaratur, nam
eo instanti, quo forma & eius existentia corru-
puntur, materia esset sine existentia, quia in illo
instanti forma introducenda non est adhuc, ne-
que forma corrupta, & per consequens materia
erit sine existentia in illo saltem instanti natura.

Quarto. Quod habet aliquam actualitatem
propriam habet existentiam propriam: materia
prima habet actum entitatiuum, quia est aliqua
actualitas.

Quarto.

Num. 10.
Determinat
author ma-
teriam ha-
bere propriā
existentiam.
Prob. primo.

Secundū.

Quarto.